



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Brvno Ep. C. 11. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. BRVNO EP. C. II. *Octobris.*

FVit hic BRVNO Henrici Aucupis German. Regis fil. Ottonis I. Imp. Frater scientias divinas juxta & humanas calluit, sed eloquentiam imprimis, quam pro miseris potissimum exeruit, ut quorū semper bona causa est. Temporis avarus nullum nisi literatum otium amavit, ut quocunque demum cum Imper. Fr. iret; famuli libri sequerentur, suavissime iter inter comites Musas facientem. Comitatus uti ipse singulari erat; ita morum levitatem in aliis summe oderat. Quare cum Henricum Fr. & affinem Cunonem sub divinis confabulantes vidisset, palam edixit; intempestivam illam familiaritatem seminarium fore maximarum inimicitiarum; id quod postea orbis vidit. O Censore debitum nostro auro! quo templa passim aut fora fieri aut curias videmus, & ex his exire saepe, qui plurima hominibus, nihil DEO, nihil Divis sunt locuti! Sed mitto linguaces. Silentium potius in BRVNONE laudo & frugalitatem, quam Archiepiscopus jam Colonienis (uti & in vestibus modestiam) in Canonicorum Collegium postliminio reduxit, uti nam non iterum nunc ubique fere terrarum exulē! Ipse post maxima obita munia, post extructa aut repa ara templa &

N n 4 coeno-

coenobia plurima, ut pacis amans, & pacis conciliandæ inter viros principes mirus artifex excessit è vitâ, anno post DEVM hominem D.CCCC.LXV. calum moriens multis lacrimis mollivit, & crebro gemitu, velut ariete, perrupit.
Ex Lippeloo.

B. IACOBVS ALEMANNVS CONF.

11. Octobris.

FELIX, (si quidem norit hodie bona sua) Ulma Suevorum IACOBVM nostrum peperit & probè edncatum. Romam ad DD. Apostolorum lumina supplicem misit. Româ Neapolim hic abiit, & ab Alphonso rege militiae adscriptus nullum hostem quàm prædam fugit. Quare illa demum castra placere, quæ non aliena raperent, sed suis se spoliarent, id quod ipse etiam fecit, cum Bononiæ ad D. Dominici signa transiit. Hic ille boni militis partes omnes implere, primus semper ad ducis nutum, portarum animi, oculorû inquam vigilantissimus custos, & flammæ hostiles casto animo injectas suffocare illic doctus sanguinis recordatione à Christo fusi. Iam arma (preces) nunquam posuit, primo mane omnes Divorum aras veluti stationes militares obiens & semper ab astrorum acie Virgine auspiciû sumens. Quid jam mirum, si miles noster daemones fustibus pugnantes